



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CCXLV. Abrogatis literis Clementis Papæ XI. super servitio Ecclesiæ
Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis, editis, & ab Innocentio Papa XIII. in
forma Rationi congruit expeditis, necnon Kalendario ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

matione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inferis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Novembris 1738. Pont. nostri Anno IX.

Dat. die 17.
Novemb.
1738. An.
IX.

CCXLV.

Abrogatis literis Clementis Papae XI. super servitio Ecclesiae Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis editis, & ab Innocentio Papa XIII. in forma *Rationi congruit* expeditis, necnon Kalendario in illis inserto, Patriarchae Ulixbonensi novi Kalendarii faciendi, ac novam servitii formam constituendi, praevius tamen consilio, & consensu Portugalliae, & Algarbiorum Regis, auctoritas conceditur.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

AD Sacrosanctam B. Petri Cathedram summa dispositione illius, qui Coelestia pariter, & terrena omnia providentissime gubernat, meritis licet imparibus cunctis inter multiplices Pastoralis Vigilantiae Nostrae curas, quibus jugiter premimur, in illam praesertim incumbimus, ut in universis Orbis Ecclesiis Divinus Cultus accrescat, illarumque Ministri Altissimo alternatim concinentes nunquam intermissas, quae in Coelesti Hierusalem Deo resonant laudes, quantum humana fuit imbecillitas, amulentur: Peculiarem tamen Pontifici muneris nostri sollicitudinem adhibemus, ut in iis potissimum, quae conspicuo Patriarchalis tituli honore illustrantur, ac frequentiori Nobilium interventu, atque Regalium Personarum praesentia decorantur, Divinum Servitium magnificentius expleatur, & ad Charitatem erga Salvatorem Nostrum in Christifidelium cordibus excitandam Divina Officia ea, qua par est, pietate, & maxima cum honorificentia persolvantur.

§. 1. Cum itaque alias postquam, sicut accepimus, fel. rec. Clemens Papa XI. Praedecessor noster, sub datum videlicet quinto Kalendas Octobris Pontificatus Sui Anno vigesimo, quartam omnium, & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum naturalium, industrialium, & civilium a Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, Archiepiscopali, & Episcopali in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis existentibus Ecclesiis, necnon quotas respective partes a novem Dignitatibus, & viginti octo Canonicatibus, & Praebendis in certis ejusdem Portugalliae Regni Collegiatis Ecclesiis existentibus, & in literis ejusdem Clementis Praedecessoris expressis, Motu suo proprio, ac de Apostolica Potestatis plenitudine perpetuo disjunxerat, separaverat, & dismembraverat, ac quatuor Ecclesiarum, seu Cappellarum, aut Beneficiorum Prioratum, seu Abbatiarum nuncupatorum per dictum Clementem Praedecessorem suppressarum, & extinctarum, & suppressorum, & extinctorum respective fructus, redditus, & proventus Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Praebendis, ac duodecim Beneficiis Ecclesiasticis Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis in illarum, & illorum respective dotis

augmentum sub certis modo, & forma inibi expressis Motu pari respective applicaverat, & appropriaverat, ac respective annexerat, & incorporaverat; Et ut in eadem Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali Divina Officia ea, qua decet, assistentia, ac Ministrorum Ecclesiasticorum numero, & copiositate, prout Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis decus, & magnificentia exposcit, celebrarentur, & Divinum Servitium nullatenus negligere, sed Dignitates, ac Canonicatus, & Praebendas, ceteraque Beneficia Ecclesiastica in ea obtinentes divinas laudes suis debitis temporibus, ac modis maxima Christifidelium ibi assistentium cum aedificatione persolverent, quandam subinde super eorum celebratione normam, ac certum dierum, & functionum Kalendarium Motu simili statuerat, atque praescripserat; Volueratque insuper, quod applicatio, & appropriatio praefata, aliaque in augmentum Praebendarum, & Beneficiorum in dicta Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali existentium praefatorum respective dotis concessa, & elargita locum minime habere valerent, nisi prius, quae per suas iidem Literas circa dictam Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis servitii formam juxta praefati Kalendarii ordinem, & multarum, ac poenarum contra inobservantes decretarum dispositionem constituta extiterant, debita exequutioni demandarentur: Super quibus per dictum Clementem Praedecessorem, ut praefertur, dispositis, ex eo quia ejus obitu superveniente Literae Apostolicae confectae minime extiterant, ne de illorum validitate haesitaretur, illaque debito frustrarentur effectu, pia mem. Innocentius Papa XIII. itidem Praedecessor noster per binas in forma *Rationi congruit*: sub datum videlicet quintodecimo Kalendas Junii Pontificatus Sui Anno Primo; desuper expeditas Literas applicationem, & appropriationem praefatas, ceteraque super dicta Patriarchalis Ecclesia Ulixbonensis Occidentalis Chori servitio, & Kalendarii dispositione, ut supra, a dicto Clemente Praedecessore statuta, & ordinata Apostolica firmitatis munimine roboraverat.

§. 2. Et ex eo quod secundum dictam ejusdem Clementis Praedecessoris Literam ex certis rationabilibus, & Nobis notis causis exequutioni minime demandatae fuerant; propterea quae quarta Patriarchalis Ulixbonensis Occidentalis, Archiepiscopali, & Episcopali Ecclesiarum praefatarum, & quotarum respective partium fructuum, reddituum, & proventuum praefatorum Dignitatum, ac Canonicatum, & Praebendarum, necnon quatuor Ecclesiarum, seu Cappellarum, vel Beneficiorum praefatorum per dictum Clementem Praedecessorem, ut praefertur, suppressorum, & extinctorum, ac suppressarum, & extinctarum, ac Dignitatibus, & Canonicatibus, & Praebendis, ac duodecim Beneficiis Ecclesiasticis dictae Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis, ut praefertur, respective unitorum, applicatorum, & appropriatorum applicatio, & appropriatio effectum suum sortita minime fuerant; Nos per infra scriptas nostras Literas ad evellendam omnem dubietatis, & controversiae occasionem primodictarum Clementis Praedecessoris Literarum debita intimationis, illarumque tempore habili exequutionis, & quemlibet alium defectum sanantes, easque ad quoscumque effectus extrinsecos, quatenus opus esset, reintegrantes, ac plenarie, & plenissime revalidantes, Dignitatibus, necnon Capitulo, & Canonicis dictae Patriarchalis Ecclesiae Ulixbonensis Occidentalis Motu simili concesserimus, & indulserimus, ut ipsi primodictarum Literarum effectu, omnibusque, & singulis gratiis, & indultis eis in primodictis ejusdem Clementis Praedecessoris in forma praefata expeditis Literis concessis, & elargitis gauderent, fruere, ac uterentur, perinde ac si praefata dicti Clementis Prae-

Gratias, ac privilegia alias a d. Clemente ei concessa, confirmat Clemens XII.

Clemens XI. Capitulum Patriarchalis Ecclesiae nuper erectae, ac doctae Chori servitium praescribit, ejusque Literas publicat, roboratque Innocent. XIII.

Eique de
novo appli-
cat quartam
partem red-
ditum Be-
neficiorum
&c. prius
concessam
in Literis
Clementis
XI.

Hujusmo-
di quartam
partem ex-
tendit ad
tertiam.

decessoris voluntas in primodictis Literis nullatenus appolita fuisset.

§. 3. Eisdemque Dignitatibus, ac Capitulo, & Canonicis, necnon Beneficiatis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ut ipsi ex Patriarchali Ulixbonensi Occidentali, ac Archiepiscopali Ecclesiis, necnon ex Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis Collegiarum respective Ecclesiarum, ac ex Prioratibus, seu Abbatibus præfatis in primodictis præfati Clementis Prædecessoris in forma præfata expeditis Literis, ut præfertur, designatis, quæ, & qui vacantes tunc reperiebantur, quantum legitime oporteret ad complementum summæ ex primodictarum Clementis Prædecessoris Literarum tenore in Dignitatibus, Canonicatibus, & Beneficiatorum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis utilitatem respective applicatæ, & appropriatæ a die datæ primodictarum dicti Clementis Prædecessoris Literarum, videlicet quinto Kalendas Octobris Pontificatus Sui Anno Vigesimo, quoad illas, & illos, quæ, & qui tunc vacabant; Quo vero ad alias, & alios, quæ, & qui deinceps vacaverant, vel deinceps vacaturæ, vel vacaturi erant, ab illarum, seu illorum respective vacationis respective die respective computandæ.

§. 4. Pro majori Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis pro tempore obtinentium decencia, & commodiori sustentatione, loco quartæ partis Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, Archiepiscopatum, & Episcopatum Ecclesiarum præfatarum fructuum, reddituum, & proventuum naturalium, industrialium, & civilium a præfato Clemente Prædecessore, ut præfertur, separatæ, & dismembratæ, ejusdemque Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis applicatæ, & appropriatæ, tertiam eorundem respective fructuum, reddituum, & proventuum partem, nec non omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus decem Dignitatum, ac quotæ respective partes fructuum, reddituum, & proventuum nonnullarum aliarum Dignitatum, Canonicatum, Præbendarum, & Canonicatum cum dimidia Præbenda, seu dimidiorum Canonicatum cum dimidiis Præbendis in quibusdam dicti Regni Portugallie Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis existentium ab ultimodictis Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, ac Canonicatibus cum dimidia Præbenda, seu dimidiis Canonicatibus cum dimidiis Præbendis per Nos dismembratos, separatos, & sejunctos, ac dismembratos, separatæ, & sejunctas, ejusdemque Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis sub certis modo, & forma inibi expressis respective applicatos, & appropriatos, ac respective applicatas, & appropriatas, ea tamen lege, quod Dignitates, ac Capitulum, & Canonici dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis fructus, redditus, & proventus tam a Nobis, ut præfertur, quam a præfato Clemente Prædecessore per illius primodictas Literas, ut præfertur, respective dismembratos, separatos, & sejunctos, ac applicatos, & appropriatos præfatos loco depositi, donec, & quousque nova servitii in eadem Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali a dictis Dignitatibus, & Canonicis, ac Beneficiatis ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis præstandi forma cum opportunis ordinationibus a Nobis, aut Romanis Pontificibus Successoribus Nostri præscriberetur, illaque debite executioni demandaretur, & hujusmodi depositi distribuendi ratio in simul statueretur, integros, & intactos, deductis dumtaxat necessariis expensis, asservare deberent, & asservari facerent, percipere, exigere, & levare, & ad effectum perceptionis hujusmodi ple-

nissime allequendum omnibus, & singulis privilegiis, indultis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, aliisque gratiis tam in primodictis ejusdem Clementis Prædecessoris, quam in infraascriptis Nostri desuper concessis Literis quomodolibet respective concessis, & impartitis, perinde ac si simul, non autem separatim concessa, & impartita fuissent, eaque tam in primodictis præfati Clementis Prædecessoris, quam in eisdem Nostri desuper concessis respective Literis totaliter inserta, ac specialiter expressa fuissent, æque, ac pariformiter uti, frui, & gaudere libere & licite possent, & valeret Apostolica Auctoritate, Motu pari concessimus, & indulserimus, prout in Nostri, sub Datum videlicet apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigesimo septimo sexto Idus Februarii Pontificatus Nostri Anno Octavo, desuper expeditis Literis plenius continetur.

§. 5. Nos itaque, qui, ut bonorum omnium Largitori suis debitis temporibus, & horis in singulis præferim Patriarchalibus Ecclesiis a cunctis Christianis fidelibus, ac signanter earundem Ecclesiarum servitio adscriptis, solemne, juxta Catholicæ Ecclesiæ morem, laudes persolvantur, enixe concupiscimus, ne diutius illarum celebrationis norma, ut præfertur præferenda differatur, ipseque Moderni, & pro tempore existentes Dignitates, ac Capitulum, & Canonici, & Beneficiati ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis gratiis, & largitionibus, tam a præfato Clemente Prædecessore per Suas, quam a Nobis per præfatas Nostri Literas sibi concessis tandem fruuntur, & gaudeant, opportune providere volentes, ac secundodictis præfati Clementis Prædecessoris super Divinorum Officiorum, Missarum solemnium, & privatarum, aliarumque functionum in dicta Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali, vel extra eam pro tempore celebrandorum, & celebrandarum forma editis Literis derogantes, ac Kalendarium in illis insertum annullantes, præfatasque Literas, perinde ac si non emanassent, suum effectum minime fortiri debere, ac Capitulum, & Canonicos, ac Beneficiatos præfatos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis ad illarum observationem minime teneri, nec obligatos existere declarantes, & decernentes Motu simili, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione Nostri, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine Venerabili Fratri Nostro Thomæ S.R.E. Presbitero Cardinali Patriarchæ Ulixbonensi Occidentali, ejusque Successoribus, ut ipse, & ipsi etiam tamquam Sedis Apostolicæ præfate Delegatus, & Delegati, cum consilio tamen, & consensu, & non alias, Charissimi in Christo Filii Nostri Joannis hoc nomine Quinti moderni Portugallie, & Algarbiorum Regis Illustris, cujus sedulam ad Divinum Cultum in dicta Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali, ejusque decorem, & magnificentiam toto studio promovendum curam maturo animo revolvimus, novum pro Dignitatibus, ac Canonicis, & Beneficiatis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Kalendarium dierum, & functionum, aliarumque tam circa residentiam, diesque vacationum, ac numerum eorum, quibus absendi facultas uno, eodemque tempore permitti debeat, necnon distantias, intra quas diebus, & functionibus in dicto Kalendario, vel extra illud præscribendis interesse, legitimo tamen, & a Jure approbato impedimento cessante, & nisi ab eorundem Portugallie, & Algarbiorum Rege, vel Regina nunc & pro tempore existentibus ad aliquod sacrum, seu ecclesiasticum ministerium publicum peragendum accesserint, aut ab ipso Thomæ Cardinale Patriarcha, ejusque Successoribus, ut infra, vocati abfuerint, omnino teneantur, quam circa

Abrogata
forma servitii
per d. Capitulum
illi Ecclesiæ
præstandi,
&c. a Clemente
XI. præscripti
Patriarchæ
facultatem
concedit
eam stabili-
liendi cum
consilio Re-
gis.

alia munia, functiones, & officia a Dignitatibus, ac Canonicis, & Beneficiatis præfatis obeunda opportunas dispositiones facere, condere, ac statuere, multasque, & penas in pecunia, & in diebus vacationum, aut in alterutro pro Kalendarii, & dispositionum hujusmodi firmiori observantia, & executione imponere, ipsasque multas, & penas, diesque statutos, functiones, ac distantias, ceteraque quæcumque, quoties ei, & eis expedire videbitur, augere, minuire, vel reformare possit, & valeat, seu possint, & valeant cum consilio, & consensu præfatis, quæque vim legis habere, nec statuentis morte expirare, nec a præfata Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis Patriarcha, seu illius Capitulo, & Canonicis præfatis, neque etiam Sede Patriarchali vacante, nisi de ipsius Joannis Regis consilio, & consensu reformari, aut revocari, vel minui posse statuimus, atque decernimus, pro dicti Thomæ Cardinalis Patriarchæ, ejusque Successorum præfatorum arbitrio; Etiam si quoad multarum, & penarum impositiones, tempus residentie, & facultates absendiæ respective, aliæque præmissa, ubi servitio, decori, aut splendori dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis expedire videbitur, a Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus, nec non ab ipsius Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis consuetudinibus, & statutis etiam juramento, seu Apostolica confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis in toto, vel in parte, de consilio, & consensu præfati Joannis Regis, & non alias, defectere opus esset, licentiam, & facultatem Apostolica Auctoritate præfata tenore præsentium concedimus, & impartimur.

§. 6. Ultra vero dies, & functiones in novo Kalendario hujusmodi de præfatis consilio, & consensu, ut præfertur, conscribendas eidem Thomæ Cardinali Patriarchæ, ejusque Successoribus præfatis Motu pari dictæ Auctoritate etiam concedimus, & indulgemus, quod liceat ei, & eis pro utilitate, necessitate, vel decore dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, seu Dignitatis Patriarchalis sub multis, & penis ei, & eis benevisis Dignitates, vel Canonicos, seu Beneficiatos, aut alios Ministros dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis omnes, seu aliquos, modo, & forma pariter ei, & eis benevisis ad Congregationes, vel Capitulum, aliasque similes, vel dissimiles functiones Ecclesiasticas, vel civiles, Dignitatis tamen Patriarchalis decorem, vel ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis utilitatem, & decus respicientes, & non alias, in Pontificalibus, vel aliter, ad tempus, vel in perpetuum dicto Thomæ Cardinali Patriarchæ, seu illius Successoribus præfatis præsentem, vel absente, seu præsentibus, vel absentibus, & ad dictum Thomam Cardinalem Patriarcham, seu ejus Successores præfatos comitandum, sive ei, & eis assistendum, aut servitium ab eo, seu ab eis iustum præstandum etiam civiliter, ex causis tamen superius expressis, etiam in diebus communibus, & tempore, quo functiones ipsas exerceri contigerit, pariterque in diebus vacationum, dummodo propter præmissa ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis servitium non negligatur, convocare, necnon tam præfatos, quam quoscumque alios actus, & functiones publicas, & privatas quodcumque, & qualitercumque, tam intra, quam extra dictam Patriarchalem Ecclesiæ Ulixbonensem Occidentalem, aut Civitatem, vel etiam Diocesim Ulixbonensem Occidentalem, non tamen extra Portugallie, & Algarbiorum Regna, ex causis superius expressis, & non alias, illis indicere habitu, forma, die, hora, & loco eidem Thomæ Cardinali Patriarchæ, & illius Successoribus præfatis benevisis, quocumque habitu ipse Thomas Cardinalis Patriarcha, & illius Successores præ-

fati tam in his functionibus, quam in ceteris in præfato Kalendario, ut præfertur, describendis utatur, & utantur, & ad illos, seu illas omnes, seu aliquos eorum sub penis, & multis præfatis coercere, etiam si functiones in Kalendario præfato, ut præfertur, describendas anticipare, vel differre opus esset; quod in aliis quoque casibus tam ipse, quam illius Successores præfati ad ejus, & eorum arbitrium facere possit, & valeat, ac possint, & valeant; necnon substitutos a dicto Thomæ Cardinali Patriarcha, & illius Successoribus præfatis, vel a præfatis Capitulo, & Canonicis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis de dicti Thomæ Cardinalis Patriarchæ, ejusque Successorum præfatorum mandato nominandos sub penis, & multis ejus, & eorum arbitrio imponendis ad exercendas functiones, ad quas nominati fuerint, arctare, & compellere: Provisio interim, ne in usu facultatis hujusmodi nimis grave servitio Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis præfata præjudicium inferatur; Ea etiam adjecta lege, quod respectu actuum civilium Capitulares præfati cogi nequeant ad interessendum, & obsequia Patriarchæ pro tempore existenti ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis præstanda, nisi in habitu Ecclesiastico, & actibus gerendis proportionato, & ex causis superius expressis, & non alias.

§. 7. Ac insuper, quod Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta quæcumque vigore facultatis in actu erectionis Cappellæ Regiæ in Insignem Collegiatam Ecclesiam erectæ Capitulo præfata Collegiata Ecclesiæ erigendæ Apostolica auctoritate præfata concessæ, aut alterius cujuscumque facultatis etiam a Jure, vel consuetudine provenientis ab eodem Capitulo edita, etiam Juramento, aut quavis firmitate alia roborata, sive etiam consuetudines statutorum vim habentes (exceptis dumtaxat, quatenus statutis, sive dispositionibus etiam extra statuta hujusmodi a dicto Thomæ Cardinali Patriarcha, & illius Successoribus præfatis respective factis, vel faciendis non adveniant) iis, quæ regimen aliorum Ministrorum, aut fructuum, & proventuum Mensæ Capitalis administrationem, aut alias præfati tantum Capituli privata negocia concernunt, irrita, & inania, nulliusque roboris, vel momenti existant, Motu pari decernimus.

§. 8. Volumus etiam, & dictæ Auctoritate statuimus, & decernimus, quod unusquisque ex modernis sex Dignitatibus, & octodecim Canonicis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis ordinem sacrum eorum respective Præbendæ annexum intra annum suscipere teneatur, alioquin eo elapso, & ordine hujusmodi non suscepto, dimidiam partem fructuum, reddituum, & proventuum sequentis anni, & deinde omnes ejusdem Præbendæ fructus, redditus, & proventus irremissibiliter amittat, & suos non faciat in foro conscientie, etiam si præfati fructus, redditus, & proventus ei non subtrahantur, nec ad præfatum ordinem suscipiendum a dicto Thomæ Cardinali Patriarcha, & illius Successoribus præfatis, vel a Capitulo, & Canonicis præfatis compellatur, quod si intra biennium a die datæ earundem præsentium computandum præfatum ordinem non suscepit, Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis præfatis ipso jure, & absque sententia privatus existat, nullusque impofterum ad sex Dignitatum, & octodecim Canonicatum, & Præbendarum præfatorum possessionem admittatur, quin prius saltem in sacro Subdiaconatus Ordine, & in ea ætate, ut infra annum ad Ordinem suæ Præbendæ annexum promoveri queat, constitutus, & actu in publica, & approbata Universitate in Theologia Magister, aut in altero Jurum Doctor, seu saltem in altera ex dictis facultatibus licentiatu existat, ac aliter factæ provisiones, vel apprehensæ professiones nullæ sint, &

Annul-
lato quorum-
cumque Sta-
tutorum an-
te hac facto-
rum.

Qualitates
in promo-
vendis ad
Canonicatus
expetendæ.

ina-

Eique con-
cedit aucto-
ritatem Can-
onicos co-
gendi ad
quæcum-
que aliam
functionem
ultra servitia
stabilienda
in Kalendar-
io conscri-
bendo.

inanes; Si vero intra annum a die institutionis computandum Ordines eorum Præbendis annexos suscipere neglexerint, præfatis Dignitatibus, & Canonicatibus, & Præbendis ipso jure, & absque sententia privati respectu sint, & esse censentur eo ipso. Dignitates vero Canonici, & Beneficiati præfatæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis in futurum a dicto Thoma Cardinale Patriarcha, seu ejus Successoribus præfatis non uti Summo Sacellano, seu summis Sacellanis, sed uti Patriarcha, aut Patriarchis respectu instituuntur.

Multas, & Præbendarum vacantium fructus cui applicandi.

§. 9. Multas vero, ut præfertur, in præfato Calendario designandas, & quomodolibet, & quarum solutionem omnes, & singulos Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, nunc, & pro tempore existentes in foro conscientie, etiam si multas hujusmodi a Punctatoribus, vel a Capitulo, & Canonicis præfatis non exigantur, teneri, & obligatos existere volumus; necnon Dignitatum, Canonicatum, & Præbendarum, & Beneficiorum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis pro tempore vacantium fructus, redditus, & proventus tam antiquos, quam de novo superadditos, & quoscunque alios, qui in futurum ipsis Dignitatibus, ac Canonicis, & Beneficiatis obveniant, pro rata temporis illarum & illorum respectu vacationis in favorem Fabricæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis præfatæ pro illius indigentis, ac sacrorum suppellestium, aliorumque Ecclesiasticorum ornamentorum manutentione cedere, nec non partem fructuum, reddituum, & proventuum, Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum, ac Beneficiorum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, quæ in usum distributionum quotidianarum juxta dicti Clementis Prædecessoris dispositionem erogari debuisset, extincto jure accrescendi, inter fructus certos, sive grossos earundem Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis computari, & cum illis consolidatam esse, & remanere debere dicta Auctoritate decernimus, atque statuimus.

Post publicationem novum Calendarium Redditus omnes Canonici, Beneficiatis &c. dictæ Ecclesiæ applicatis per utrumque Clementem quo pacto sint dividendi.

§. 10. Præterea eidem Thomæ Cardinali Patriarchæ, & illius Successoribus præfatis, ut ipse, seu ipsi cum primis præfatum novum Calendarium & dispositiones, ut præfertur, faciendæ a Dignitatibus, & Canonicis, ac Beneficiatis ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis executioni demandari, & observari inceperint, omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus tam per Nos in Nostis, quam per dictum Clementem Prædecessorem in suis respectu Literis præfatis, respectu dismembratos, & separatos, ac Dignitatibus, nec non Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis respectu, ut præfertur, applicatos, & appropriatos ex tunc decurrendos inter Dignitates, ac Canonicos, & Beneficiatos præfatos, servata in omnibus, & per omnia præfatarum Literarum, quas hic pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, forma, & dispositione, dividi, & cum effectu perfolvi faciat, seu faciant: reliquos vero fructus, redditus, & proventus Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ut præfertur, applicatos, & appropriatos usque tunc decurfos, & loco depositi asservatos, vel nondum exactos in tres partes dividat, seu dividant, quarum duas pro numero annorum a die datæ primordiarum præfati Clementis Prædecessoris Literarum, videlicet quinto Kalendas Octobris Pontificatus Sui Anno Vigesimo clapsorum in æquales partes dividas, ac unamquamque partem hujusmodi inter Dignitates, ac Canonicos, qui in unoquoque ex dictis annis dictæ Patriarchali Ec-

clesiæ Ulixbonensi Occidentali infervierunt, vel heredes eorum, qui decesserunt, cum onere solutionis debitorum, vel legatorum quorumcumque, æqualiter respectu distribuat, seu distribuant: reliquam vero tertiam eorumdem fructuum decurfosam partem in fundos, vel census, aut utilia aliqua opera, seu in alia reddituum genera in favorem Fabricæ ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis pro ipsius indigentis, ac sacrorum suppellestium, aliorumque Ecclesiasticorum ornamentorum manutentione, ac novis Canonicatibus, & Præbendis, seu novis Beneficiis juxta earundem præfatarum Nostrearum Literarum dispositionem erigendis, aliorumque Ministrorum sustentatione: quam distributionis rationem præfatus Thomas Cardinalis Patriarcha, seu illius Successores præfati erga Beneficiatos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis quoad fructus dictorum Prioratum, seu Abbatiarum per præfatum Clementem Prædecessorem, ut præfertur, suppressorum, & extinctorum, seu suppressarum, & extinctarum, & præfatis Beneficiatis applicatos, & appropriatos, ac, ut præfertur, decurfos servari, cum consilio, & consensu d. Joannis Regis erogari sedulo curet, atque præcipiat, seu cureat, atque præcipiant.

§. 11. Ac demum, ut præmissa omnia, & singula in eisdem præsentibus contenta, necnon omnia in novo Calendario, ut præfertur, conficiendo disponenda suum debitum fortiantur effectum, & exactius perpetuis futuris temporibus observentur, quod præfatus Thomas Cardinalis Patriarcha, ejusque Successores præfati Dignitates, & Canonicos, ac Beneficiatos, aliosque Ministros dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, ac eos, ad quos pro tempore spectabit, ultra multas, & penas in præfato novo Calendario, præfatisque dispositionibus, ut præfertur, designandas, quibusvis necessariis, ac Canonicis remediis adhibitis, omni prorsus appellatione remota; ad illorum omnium, & singulorum observantiam compellere, & arcere, & contra inobedientes, seu alias delinquentes tam in supradictis, quam aliis quibuscunque sine Adjunctis tam intra quam extra visitationem procedere possit, & valeat, & respectu possint, & valiant, plenam, integram, & omnimodam potestatem, facultatem, & auctoritatem Motu simili Apostolica Auctoritate præfata ipsarum tenore præsentium pariter concedimus, & impartimur.

§. 12. Decernentes easdem præfatas, ac in eis contenta quæcumque nullo umquam tempore, & ex quocunque capite, vel ex qualibet causa quantumvis legitima, & juridica, pia, privilegiata, & speciali nota digna, etiam ex eo quod Dignitates, & Canonici, ac Beneficiati dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, seu quicumque alii cujuscunque dignitatis, gradus, conditionis, & præminentie existant, in præmissis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione, jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, aut ad illa vocati, & auditi non fuerint, & causæ, propter quas easdem præfatas emanarunt, adductæ, verificate, & justificate non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuum mentionem, ac expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitate, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocunque alio capite a jure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocunque alio colore, prætextu, ratione etiam in corpore juris clausa, occasione aliqua causa etiam quantumvis iusta, rationabili, le-

Omnimoda potestas Patriarchæ data quemcumque Beneficiatum compellendi ad executionem eorum, quæ statuuntur in Calendario.

Clausula ad præsentium Literarum observantiam inducendam.

gitima,

gitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda esset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam Motu simili concessio, aut impetrato, vel emanato, uti, seu se juvare in iudicio, vel extra posse, neque eandem præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per dictos Prædecessores, aut per quoscumque alios Romanos Pontifices Successores nostros pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatam etiam Motu pari, ac ex certa scientia, etiam Consistorialiter, ac quibusvis de causis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam si de ipsis præsentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis comprehendere, sed tanquam ad majus bonum tendentes semper ab illis excipi, quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quodcumque eligenda concessas esse, & fore, sique, & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, officio, & dignitate fungentes, ac prærogativa, privilegio, præminencia, & honore fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocumque iudicio, & in quacumque instantia iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria
tolluntur.

§. 13. Non obstantibus secundodictis præfati Clementis Præd., ac omnibus in nostris Literis præfatis super nova servitii in eadem Patriarchali Ecclesia Ulixbonensi Occidentali præstandi forma dispositis, ac quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, Generalibus, Provincialibus, Synodalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, dictæque Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, styliis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis etiam ex fundatione competentibus, vel a dicto Clemente Prædecessore, aut aliis Prædecessoribus nostris alias præfatæ Patriarchali Ecclesiæ Ulixbonensi Occidentali, dum esset Cappella Regia, vel Insignis Collegiata Ecclesia, concessis, quatenus his, quæ in ipsis præsentibus expressa sunt, adversentur; necnon indultis, & Literis Apostolicis præfatis Capitulo, & Canonici d. Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, aliisque personis quibuscumque etiam speciali, specifica, expressa, & individua mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam in genere, vel in specie, etiam Motu pari, & de Potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum concessis, ap-

probatis, confirmatis, & innovatis, etiam si in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque Literas Apostolicas etiam Motu pari pro tempore concessas, & concedendas quascumque etiam derogatorias derogatorias in se continentes derogari non possit, neque censetur eis derogatum, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas, & causas etiam quantumvis prægnantes, pias, privilegiatas præsentibus pro plene, ac sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, ac specificatis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum omnium, & singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, & sufficienter, necnon specialiter, & expresse Motu simili derogamus, ac derogatum esse, & ceteri, decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri Motus proprii, reintegrationis, revalidationis, derogationis, annulationis, licentiæ, impartitionis, concessionis, indulti, decreti, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigésimo octavo, octavo Idus Decembris, Pont. Nostri Anno Nono.

Loco † Bullæ Auræ.

Pœna contra temerarios Bullæ hujus.

Dat. die 6.
Dec. 1738.
An. IX.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium circa Religiosos Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Provinciæ Mexicanæ, ad alios Ordines confugientes.

CCXLVI

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **A**lias pro parte dilecti filii Ignatii Padilla Fratris expresse professi in Sacra Theologia Magistri Provinciæ SSm̃i Nominis Jesu Mexicanæ Ordinis Eremitarum S. Augustini Procuratoris ad specialia negotia missi Nobis expositum fuit, quod in dicta Provincia abusus valde observantiæ regulari præjudiciales, nempe, quod aliqui religiosi inquieti, & parum observantiæ sui Instituti amatores obedientiam, reverentiamque, ac subjectionem suis Prælati debitas parvificantes ad Cœnobita aliorum Ordinum, vel Congregationum, aut Institutum prætextu evadendæ violentiæ, & effugiendi rigorem suorum Superiorum confugiant, irreperant, & licet Superiores prædicti a Prælati Conventuum, ubi prædicti Religiosi confugiunt, petant, ut patiantur, quod obligatio obediendi propriis Superioribus, & se ad propria Cœnobita restituendi intimetur, vel quod illos propriis Superioribus tradant, neutrum obtineri solet, protestantes aliorum Ordinum, vel Congregationum, aut Institutum Prælati, ubi dicti Religiosi confugiunt, eosdem gaudere immunitate refugii, & consequenter a proprio Prælato non posse extrahi, requiri, aut notificari, utpote in alieno territorio existentes, neque Superiores aliorum Ordinum prædictorum debere dictos Religiosos confugientes tradere, & in eadem expositione subjuncto, quod dilectus etiam filius modernus Prior Provincialis Provinciæ, &

Ex facili Religiosorum ad alios Ordines refugio omnium Ordinum disciplina collabitur.

Procuratoris Ordinis S. Augustini Eremitarum Mexicanæ Provinciæ

Ordinis